



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vt is qui sese monastico instituto dedidit, B. Virginem Mariam venerari
debeat, & quasnam decem petitiones illi porrigere. Epist. XXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

tua super pectus tuum diuinum circumplectentem.

Quando circumis ad orandum, pete humiliato corde atque verecundo, vt preces aliorum tibi profint, dignumq; te efficiant hac tui desponsatione cum Deo, & cætera.

Exuens cappam, puta te relinquere tibiq; abstrahi omnem tuam veterem conuersationem, quæ non fuit secundum Deum: petens hoc idem fieri in te, Domino id agente. Pari modo cum indueris alba & benedicta veste, ora iterum vestes tibi dari virtutum hoc rege cui cupis desponsari dignas, &c.

Lecturus professionem ante recollige mentem, atque vniuersum propositum tuum, quo te totum liberè sicut legis ore, ita & mente tradas resignesque Deo.

Crucem subscribens sigillum salutiferæ redemptionis tuæ, sigillum scilicet, sponsi tui te puta appendere. (Hoc enim commune habes cum sponso) quod hanc tui oblationem desponsationemque fideliter obseruare intendas.

Sub oratione prostratus, quando benediceris, diligenter ausculta, & mente orans pete, vt eadem in te fiant, quæ petuntur.

Ad communionem, sicut sponsa ad thalamum procede. Ante enim tu in professione tradidisti te Deo, iam in Sacramento se tibi tradet Deus. Propterea ora, vt nexu indissolubili eidem merearis coniungi. Credendum enim valde est, præ omnibus alijs sumptionibus Eucharistiæ singulari se gratiarum exuberantia donare Deum ei, qui toto se corde dedicauit & strinxitq; Deo. Vale, & ora Deum pro me, charissime fili.

Christus cui se singulariter donet in Eucharistia.

Vt is qui relicto seculo, sese monastico instituto dedit, vnicè post Deum debeat venerari, inuocareq; beatissimam virginem Mariam: & quasnam petitiones decem porrigere illi ipsi debeat.

Epistola XXIII.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIUS, CARTHVS.
filio suo prædilecto in Christo plurimam salutem, per merita consequi beatae Mariæ.

Placent mihi permulta in te, quæ idè laudo vt tenacius fili mi eadem custodias: non ex hac laude mea eleuandus, neque negligentior, sed feruētior futurus: quanto scilicet, agnoscis te ab eo à quo scis te amari haud quaquam aliter, atq; in Christo commendatum, quem & tu quotq; post Deum singulariter in terra amans, cupis tua bona conuersatione & omni obedientiæ obseruatione lætificare. Placent itaq; mihi (quæ arctius tibi semper commendauit) simplicitas tua tranquilla atque pacifica in bono, castitas verecunda, virginea integritas, obedientia ad chorum, & cætera quæq; aut officia, aut ad genus Ordinis debita, maturitas, & lacritas, & festinans deuotio: & inter alia affectio feruens & casta ad amorem Dei genitricis virginis Mariæ. Quod cum nuper exhortatione, qua potui, in te roborarem, & exercitium ad tam nobilissimam pijsimamq; dominam, spirituale tibi demonstrarem, petisti scriptum tibi assignari. Placet quod

S oras.

Quam fit
frugiferum
amare ac
venerari
Dei matrē.

oras. Hortor etiam fili, vt dominam nostram magis ames.

Nam si pericula multa euadere, si vis tentationibus non succumbere, si in aduersitatibus cōsolari, si tristitia inordinata cupis non obrui, si denique Christo desideras coniungi, venerare, ama, imitare castissimam, amabilissimam eius matrem, dulcissimam, fidelissimam, gratiosissimam, potentissimam quoque, & tui (si eam & eius amorem optas) amantissimam, vtpote humilissimam, quæ neminem spernit: misericordissimam, quæ inuocantem neminem derelinquit, & cui thesaurus diuinæ misericordiæ, erogandi quoque facultas, atque peccatorum, præcipue autem illam amantium, cura à Deo commissa est.

Quor perditos mater Dei saluti restituit.

Quam qui amauerit, castus est, qui amplexatus fuerit, mundus est: qui veneratus fuerit, deuotus est: qui imitatus fuerit, sanctus est. Nemo illam amans, non est ab ea redamatus: nemo illi deuotus, periit: nemo qui illam fuit imitatus, non est saluatus. Quor desperantes, quor obstinatos, quor flagitiosos, qui tamen spem atque refugium ad suum misericordissimum patrociniū habuerunt, ipsa ad pietatis finem recepit, & quasi sibi relictos (vtpote quibus nulla spes alia, aut via ad conuersionem veniendi persuaderi potuit) fouit, filio reconciliauit, & ex diaboli faucibus, atque ad eam ipsa voragine inferni ereptos, paradiso cœlesti restituit.

Quantum fit Dei donū pie affici erga matrem ipsius.

Hanc illi filius gratiam donauit, hanc prærogatiuam, hoc officium ei commisit, vt qui amarent illam, ad pœnitentiam qui deuoci essent, ad gratiam qui imitarentur, ad cœlestem perducerentur gloriam.

Quapropter gratia magna est, & pro dono magno à Deo habendum est, ad beatissimam illam Virginem deuotionem habere, illam venerari, illi se committere, per eam spem suam in Deo ponere, ipsam imitari cupere.

Quod cum in te dulcissime fili credam, quod à me rogasti, vt scriptum tibi traderem, quod docueram te sermone, Ecce hic habes.

Exercitium ad beatam Virginem Mariam.

Exercitium ad beatissimā Dei matrem.

ELige certum tempus (nam quicquid certo tempore non statuitur, differendo aut in obliuionē tradendo tandem prætermittitur) quo ante beatiss. hanc Virginem, Dei matrem electissimam, nobilissimam atque pulcherrimam, dominam gloriosissimam, cœli reginam, atque tuam vnicam, gaudiosam, amabilissimam (post Christum) consolationem, te prosterne humiliter. Ora ipsam per omnia dona beneficia, & gratias, quæ contulit illi Deus (quæ magna utiq; sunt & innumera) item per omnia beneficia, quæ & contulit humano generi per ipsam.

Petitio ad Virginē I.

Prima petitio, pete ab ipsa, vt dignetur te in suam curam, in custodiam maternam, in gratiam suam & in amorem suum suscipere, atque perpetuo fouere, regere & perducere in omne beneplacitum filij sui Dei & Domini nostri Iesu Christi.

II

Secundò, pete ab ipsa, vt faciat te de illorum numero, qui præcipue atque singulariter sunt sibi impignorati, atque prædilecti.

III

Tertiò, pete ad ipsa, vt rursus impetret & donet (quia eius velle est impetrare, & eius impetrare est donare) tibi sui amorem ardentissimum, deuotissimum, castissimum, fidelissimum & perpetuum.

Quartò,

D. VI
L. 6

Quartò, pete ab ipsa, vt faciat te de illorum numero, qui sibi præcipuè at- que singulariter sunt deuoti: qui ei seruiunt, ipsam amant, venerantur, & i- mitantur perfectissimè.

IV

Quintò, pete ab ipsa, vt impetret tibi illas virtutes infundi & perfici, qui- bus Deo ipsa placuit quam maximè.

V

Sextò, pete ab ipsa, vt impetret tibi profundissimam atque perfectissimam humilitatem: qua omnia genera superbix atque inanis gloriæ in te extin- guantur & moriantur, vt nihil sis in oculis tuis, & nihil velis esse in oculis a- lienis.

VI

Septimò, pete ab ipsa, purissimam mentis & corporis castitatem, qua abo- mineris omnem illicitam voluptatem, & quicquid Deo displicet.

VII

Octauò, pete ab ipsa fidelissimam, perfectissimam, ardentissimam, perpetuamq; charitatem in Deum, qua ab omni, quicquid illi displicet, abstineas, quicquid ei placet diligas & obserues: ipsum autem in omnibus & super omnia: item in proximum quoq; qua illum sicut debet, & sicut ipse vult Deus optimus, sincerissimè diligas, cum omnium aliarum virtutum exhibitione & effectu secundum beneplacitum Dei.

VIII

Nondò, pete ab ipsa, vt impetret tibi felicem mortem, vt scilicet hic per me- rita eius, maximè autem Christi filij eius purgatus ab omni culpa & pœna peccati, post hanc vitam temporalem, immediatè, hoc est, sine dilatione reci- piaris eius gratia & interuentione, ad æternam.

IX

Hic humiliter (quod fortassè non congruit petere) o- rta, vt dignus effici merearis (quia multi pro Christo filio eius vitam posuerunt) vitam tuam pro tam dulcissima dignissimamq; matre, aut pro eius amore ponere ad laudè & gloriam filij eius Iesu Christi.

Posses etiam patronos singulares inuocare, vt gloriosissimam dominam accedant, & pro te rogent, vt has petitiones tuas dignetur exaudire atque im- plere, simulq; cum illis patronis ad Cor Domini Iesu Christi filij sui (quod est Decima petitio) vulneratum atque apertum te perducere filium rogare, vt cor tuum, in d. ipsum totum, id est, omnes cogitatus & affectus, vires & po- tentias omnes, quicquid es & potes, intra cor suum dignetur recipere, possi- dere, abso- bere, atque inseparabiliter sibi vnire: tibi quoque dona & gratias cordis sui infundere, vt per gratiam suam vnum simul cum ipso efficiaris & maneat perpetuo.

X
Ad cor Iesu
exercitium.

En habes dilectissime fili petitiones in denarium numerum (quod ipse desiderasti) distinctas. Incipe igitur & exerce te, orans pro me, scilicet vt in me pariter impleatur, quod tibi donari flagitas. Præscripsi tibi quid ores, & orandi modum. Porro non tradidi orationes iam ordinatas, vt sciens quid petere debeas, non ex libro, sed ex proprio corde quod fructuosissimum est genus orandi, haurias offerasq; desideria tua & preces, tanto vtique fer- uentius, tantoq; attentius, quanto iam quoties oraueris quali ex corde, toties quæ ores renascuntur, nec alienas factiti- asq; sed proprias habeas orationes.

Corde orate
quã sit fru-
ctuosum.

Vale.

S. 2

VII